

consilia evertit. Orto namque in urbe tumultu populus cum clamore in Isachi domum repente impetum fecit: ibi concivia in Alexium non pauca ja<sup>c</sup>tata, quod stultus puer, rerumque omnium ignarus, pecunia solvendæ studio, quam avaræ genti, & Græci nominis inimicæ, temere promisisset, urbem suam diripere, veteribusque fortunis spoliare non dubitaret. At puer in tanto motu vitæ suæ timens, consilio supra ætatem usus, alta voce pronunciavit, se in civium suorum auctoritate futurum. Tam populari denunciatione ejus noctis tumultus sedatus est. Postridie paucis amicorum communicato consilio, ad Bonifacium propinquum suum mittit, ut tertia proximæ noctis vigilia cum armatis cohortibus sibi auxilio adsit: magnum dicere non Imperii solum, sed vitæ quoque sibi a civibus imminere periculum: orare proinde illum, ne in tanto discrimine puero, consanguinitatis vinculo sibi propinquo, cæterum consiliorum rerumque omnium inopi, deesset: curaturum se ut porta, qua urbem initurus esset, ad tempus pateret. Fuit inter eos, qui ejus consilii conscii erant, Alexius, cognomento Myrtilus, vel, ut alii habent, Murcyphus, quem Isachus ex infima plebe multis & magnis honoribus ad summam dignitatem provexerat. Is ambitioso, ut erat, ingenio, & ad omne facinus prompto, continuo rem paucis adversæ factionis, & quorum auctoritatem haud parvam in civitate esse sciebat, communicat: tumultumque ea hora qua priore nocte excitandum procurat. Quo repente orto, Alexium puerum trepidantem, ut fese in abditissimam partem domus illatebraret, adhortando, præsentisque periculi admonendo, perpulit. Eum ad locum productum fidissimis quibusdam asservandum tradidit: inde in publicum exiens, quasi seditionem compressurus (quod se facturum receperat) pro concione orsus, in quo res loco sitæ essent, primo cœpit ostendere: quam præterea evidens ab avara (ut ipse prædicare solebat) & Græci nominis inimica gente immineret periculum: esse proinde opus affirmare viro aliquo optimo, ac eodem prudentissimo, & non puero, si præsentibus malis obviam iri cuperent. Est ita-

*Alexius puer, patre vita defuncto, opprimitur.*